



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Handleitung Zu leichterem Gebrauch Der Geist- und  
Sittlichen Unterrichten In Ewigen Wahrheiten**

**Calino, Cesare**

**Augspurg ; Graez, 1744**

**VD18 80280064**

In Festo S. Nicolai Episcopi Confessoris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49389](#)

4.

*Faciam vos fieri pescatores hominum.*  
*Matth. 4.*

Egregius prosector hominum pescator fuit S. Andreas, qui tot peragratus provincias innumera animarum lucra fecit, & institutis in Achaia Ecclesiis, cum propter fidem captus & cruci affixus est, in ipsa cruce per triduum pendens non cessavit praedicare Christum & homines ad fidem adducere. Possimus & nos fieri pescatores hominum, si omne bonum, quo ad salutem indigent, non solum illis optare, sed etiam precibus nostris a Deo obtinere satagamus. *Mense VIII. Disc. 224. pag. 171.*

## IN FESTO S. NICOLAI EPISCOPI CONFESSORIS.

1.

*Euge servi bone & fidelis. Matth. 25.*

Hunc boni & fidelis servi titulum eminenter meritus est S. Nicolaus, qui talentum sibi creditum ad miserorum subsidia impendit, atque ita Christi voluntatem perfectè implevit, qui, quæ pauperibus dantur, sibi dari saepe afferuit. Planè nobis amplectenda misericordia est, cum ipsam a Deo nobis mandari, & illi gratissimam esse noverimus. *Mense VIII. Disc. 228. pag. 240. usque ad num. 14.*

2.

*Intra in gaudium Domini tui. Matth. 25.*

Hæc est merces misericordiæ, ut eam Deus mul-

multis beneficiis in vita , & post mortem æternâ gloriâ remuneretur. Liberalitatem Nicolai Deus in vita illi rependit per miraculorum gloriam , in cælo per æternam felicitatem. Certi igitur de præmio studeamus misericordiæ operibus , ne contrarium agentes aliquando severè puniamur. Mense VIII. Disc. 228. pag. 254. à num. 14. ad finem.

3.

*Euge servi bone , & fidelis. Matth. 25.*

Ille servus est bonus & fidelis , qui talenta à Domino sibi commissa bene impendit juxta voluntatem & ad commodum Domini sui. S. Nicolaus opes à Deo sibi concessas impendit misericorditer pauperibus , & per istos Deo , à quo accepit : *Quod un ex minimis meis fecisti , mihi fecisti.* Ut & nos fiamus fideles servi , discamus , quid sit vera misericordia , & quibus sit exhibenda. Mense VIII. Disc. 226. pag. 208.

5.

*Intra in gaudium Domini tui. Matth. 25.*

Quisnam vero maximis apud Dominum gaudiis perfruetur , nisi qui Domino simillimus evasit? Deus est , cui proprium est misereri semper & parcere : is ergo maximè in cœlo glriosus , qui misericordissimus. Non gratis hanc virtutem elegit sibi tanquam propriam S. Nicolaus ; nam hæc inter cæteras ipsius Dei excellentias eminet , & præ cæteris hominem Deo similiorem facit. Mense VIII. Disc. 227. pag. 222.